



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 60. Eugenius Papa Senis Romam profectus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. *prilis.* Has propositiones stricto calamo
 A.C.1443. Joannes Turre-cremata Cardinalis, non
 minus vehementer ac solide impugnavit,
 ad quæ Tostatus confestim respondit
 edito commentario, cui *Defensorii* nomen
 fecit, in quo tamen sua dicta iudicio Ec-
 clesiae, & Pontificis subjecit.

§. LX.

*Eugenius Papa Senis Romam
 profectus.*

*Platina. in
 Eugen. IV.*

Posthæc Eugenius Papa Senas reliquit,
 Romam reversurus, quorsum etiam
 die vigesima octava Septembris post no-
 vem & amplius absentiae suæ annos per-
 venit, summis honoribus, ac incredibili
 lætitia exceptus; cuncti enim Princi-
 pes, qui id temporis magnam hanc Orbis
 urbem incolebant, adventanti summo
 Pontifici certatim obviam effundebantur;
 Populus quoque festivis acclamationibus
 intimi sui gaudii signa prodebat, non
 solum ob Principis sui præsentiam exul-
 tans, sed vel maxime propter sublatum
 novum vectigal vino impositum, quod
 Pontifex necdum urbem ingressus, Ro-
 manis graviter inde conquerentibus, li-
 beraliter remisit. Aliquot post diebus
 Eugenius ad Palatium Lateranense pro-
 cessit, & Concilium Generale eo loci se-
 celebraturum denuntiavit, missis ad om-
 nes

nes Principes literis Apostolicis, atque Nunciis, quibus eos, ut suos Oratores ad Synodum decernerent, adhortabatur. Hac enim ratione, inquit Platina, infirmare, ac penitus abolere Basileense Concilium intendebat. Indicta hujus Synodi celebratione in id præ omnibus animum applicuit, ut Ecclesiæ Patrimonium e manibus Francisci Sfortiæ eriperet, huncque in finem armis utebatur Alphonsi Arragoniæ Regis, & Picinini, qui copiis Philippi Mediolanensis Ducis præfectus erat.

Sæcul. XV.
A.C. 1443.

§. LXI.

*Hungarorum bellum adversus
Turcas.*

Interea ferventes, quas Julianus Cardinalis Legatus ab Eugenio in Hungariam missus interposuerat, preces optatum habuere successum; Hungari enim ingentem armorum apparatus instruebant, ut Amuratis Turcarum Imperatoris, cujus recens adhuc memoria in eorum animis vigeat, vires, atque potentiam frangerent. Decernebantur quoque Legationes ad Fridericum, & ad Prussos, atque Livonienses Cruciferos Equites, necnon ad Polonos, & Valachos, a quibus auxiliares copię petebantur. Sed cum Fridericus Bohemiam belli tumulti-

Bonfin.
3. Dec. 5. 86.